DISPUTATIO MEDICA
DE
HEMICRANIA
QVAM
D. O. M. A.

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. FRIDERICO SCHRADERO

Med. Doct. Ejusdemque & Philoſophiæ Naturalis
Profeſſore Publ. & Ordinario

Dn. Fautore ac Præceptore ſuo omn
obſervantia colendo

Publico eruditorum examini ſubjicit

AUTOR

JUSTUS HENRICUS KREIENBERG,
Helmſtad.

IN MAGNO JULEO

d. XXVIII. Junii Anno cIↃ IↃc XC.

HelmſtadI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.

Thesis I.

SIcut in plerisque gravioribus affectibus, ita imprimis in morbis capitis explicandis frustra laborant, qui ex Pathologia morborum per consensum natorum exactam sibi non pararunt notitiam; nunquam enim radicem tangere & morbi fomitem tollere poterunt, qui nexum illum affectionum ignorant.

II.

Probare id poterit affectus, cujus interpretationem publici speciminis loco daturus sum, Hemicrania nempe, cujus sedes occultior, quam ut festinantibus & de vera mali origine non satis sollicitis arcanorum suorum svasoribus possit innotescere. Quantum vero in hujus doloris causæ exacta cognitione situm sit, à Medicis peritis rerumque suarum satagentibus dudum est animadversum, & ex sequentibus haud difficulter constare poterit.

III.

Definiri equidem Hemicrania solet, quod sit dolor exquisitus dimidiæ capitis partis, aliquando dextræ, aliquando sinistræ, plerumque per circuitus exacerbatos, à decubitu acriorum & mordacium humorum ad sensibiles capitis partes, ortus; quandoquidem

tamen ex philoſophicis fundamentis conſtat, res mutationi & varietati obnoxias definiri non poſſe, ſi enim definirentur diverſimode definirentur, atque ſic plures unius rei definitiones orirentur, errare nobis & rem amplam diffuſamque ad magnas anguſtias, invita illius natura, cogere videntur, qui morbos alios & hunc quoque, cujus facies, indoles, typus, motus, cauſa tantopere diſcrepat, brevi aliqua definitione complecti conantur. Accommodatius arti eſt, ita in morborum ſcrutinio & cognitione verſari, ut ex obſervationibus & ex ipſa morbi hiſtoria, natura & cauſa illius eruatur; illa ergo fundamenti loco toti tractationi inſerviet.

IV.

Equidem diagnoſis hujus morbi facillima eſt, juxta commune enim proverbium, *ubi dolor, ibi digitus*, id eſt, manu ipſa partem dolentem oſtendit patiens, cauſarum tamen ſigna non ita aperta & æque ſemper luculenta ſunt, ſed magna circumſpectione, diligenti præſentium ſymptomatum perveſtigatione, illorumque quæ malum præceſſerunt indagine opus eſt. Requiritur multa & aſſidua ægri inſpectio, collocutio cum ipſo, & illis, qui quid paſſus ſit & patiatur, noverunt, ut conſtet â qua cauſa malum foveatur ſuſciteturque, &, quod ante omnia alia ſcire expedit ac curioſè â Medico ſciſcitandum eſt, num caput πρωτοπαθικῶς num δευτεροπαθικῶς afficiatur; illo ſcilicet cui non Empirica temeraria & fortuita, ſed rationalis medendi via curæ eſt, qui morbum, manentibus cauſis, deleri non poſſe intelligens, illas cognoſcere, & has efficientes conſervantesque affectuum cauſas circumcidere & demoliri contendit.

V. Eſt

V.

Eſt autem dolor hic aliquando internus aliquando externus, materia quæ morbum gignit inter cutem & cranium hærente, quod licet ægrotis determinatu non æque facile ſit, omnibus tamen ſignis perpenſis â perito Artifice cognoſcitur; tumor ſæpe notabilis qui adeſt, coloris mutatio pulſusque, rem apertam faciunt, quin ab attactu & vellicatione ſæpe exacerbatur, aliquando etiam demulcetur.

VI.

Differt præterea hic dolor plurimum ut reliqui dolores omnes ratione temporis, durationis, magnitudinis & fixitatis. Aliquando dolor eſt tenſivus, cum ægri partes ſibi quaſi tendi & diſtrahi videntur, cum quo lacerans, frangitivus, oſſifragus, Græcis ὀςεοκόπος dictus multum convenit. Aliquando eſt gravativus, ponderis capiti veluti incumbentis ſenſu moleſtus. Crebrius acutus & pungitivus qui teli infixi inſtar membranas pungit locumque dolentem quaſi diſſecat, qui vehementiſſime omnium ægrum excruciare ſolet. Interdum eſt pulſatilis & palpitans ex arteriarum temporum pulſu perceptibilis, atque ipſa hæc quæ adeſt malleatio moleſtiam quam æger percipit plurimum auget. Aliquando ardore, aliquando frigore potius afficere partem videtur, & qui cum frigoris ſeu glaciei impoſitæ ſenſu conjunctus eſt, cephalalgiæ ab utero proficiſcentis indicium non adeo fallax exiſtit.

VII.

Fixi equidem dolores hi manere ſolent, ſubinde tamen vagantur, ſedemque ſuam interdum in uno

 capitis

capitis latere, ſed non ſemper in una eademque illius lateris parte retinent, ſed modo poſteriora verſus ad aures, modo ad anteriora decurrunt, quin aliquando calvariam egredientes in maxillis, labiis ſæviunt, modo partem affectam relinquentes ſanam adoriuntur. Rarum eſt ſtricte uno latere dolorem omnem circumſcribi, cujus tamen rei exemplum eſt apud Hildanum, quod Medicum æque ac adſtantes in admirationem rapuit; Cent. IV. obſ. 6. quam concludit hic verbis: *Nunquam autem dimidiam partem faciei transgrediebatur dolor, & ſi labrum inferius vel ſuperius etiam vel naſum occuparet, media tamen pars ſolummodo dolebat, altera vero omnino doloris expers erat.*

VIII.

Habet & hoc hemicrania cum multis aliis doloribus peculiare, & Medico non ſaltem ſed ægro imprimis ſolatio eſt, quod continua ſæpe non ſit, ſed, per certa aliquando, aliquando incerta eaque ſatis magna intervalla recurrat. Notabile eſt exemplum quod habet Petrus Salius Diverſus & ex eodem recitat Schenck. l. 1. obſ. p. 50 de quodam qui ſingulis ſeptimanis & lunæ quidem diebus dolore tali infeſtabatur, terminum hunc ſuum accuratisſime ſervante. Imo certis quoque anni temporibus hemicraniæ recurrentis exemplum habet Tulp. l. 1. obſ. 13. Miſcell. N. curioſ. ann. 2. obſ. 247.

IX.

Tempus invaſionis in hac doloris capitis ſpecie varium eſt, ſæpe enim dohor hic verno imprimis tempore ſole ad nos appropinquante, interdum autem

autum-

autummo recurrit; ſæpe de die magis & fervente meridie quam noctu urget, deciduo autem ſole prorſus remittit. Vid. Schenk. l. 1. obſ. p. 48. Quosdam è contrario noctu potius dolor hic corripit, ſole autem oriente remittit, ægrumque relinquere ſolet.

X.

Vicina ſenſoria, adeo ſenſibiles membranaceas nervoſasque partes habentia organa, effrenato & vix conſolabili hoc dolore oborto non poſſunt non ſimul moleſtisſimè affici. Oculi præſertim labem tunc ex facili ſuſcipiunt, imprimis ſi prope radices oculorum ſedem ſuam hemicrania figit, ubi lucem nec ferre nec oculos aperire poſſunt ægri, ſed dolent oculi gravisſimè, connivent, convulſivi quid patiuntur, humiditate multa perfuſi lacrymas fundunt, inflammantur: ſicuti hemicraniæ cum ophthalmia conjunctæ exempla ſunt apud Foreſt. l. 9. obſ. 60. & Plater. l. 2. obſ. p. 356. Quin imo cœcitatem aliquando ex Hemicrania tali aliquem contraxiſſe notat Valeſcus de Taranta in Philon. Pharmaceut. â Celeb. Wedelio ante annos X. denuo edito.

XI.

Aures ſæpe etiam dolore hoc ingruente compatiuntur, quæ tinniunt dolentque, læditur auditus ipſe, & in abſceſſum auris ſæpe terminatur malum hoc, quo rumpente, dolor etiam ceſſat juxta aphor. 10. ſect. 6. Hipp. Vid. Foreſt. l. 9. obſ. 61. & Gregor. Horſt. l. 2. obſ. 3. Taciturni vero fiunt ægri raro quidem loquelæ vitio, ſed quod ob doloris vehementiam illos pigeat os aperire & loqui; muti jacent tanquam aphonia correpti, ſermonis aliorum impatientes redduntur.

duntur. Dentes quoque dum hemicrania affligit à doloris violentia in consensum trahuntur, strident. Hemicraniæ cum gingivarum intumescentia exemplum habet Horst. l. 6. obs. 25.

XII.

Tanta sæpe sunt tormenta hæc & incredibiles cruciatus capiti insidentes, ut suturæ notabiliter inde dehiscant & una ab altera, doloris atrocitate divellatur. Utut enim difficilis non immerito firmum suturarum nexum spectantibus videatur illa separatio, & dubia aliis visa sit, observationibus tamen fide dignissimorum Medicorum confirmata est. Hild. C. 1. obs. 1. tantam se deprehendisse dehiscentiam scribit, ut systolen & diastolen arteriarum cerebri satis distincte sentire potuerit. Carolus Piso de morbis à serosa colluvie ortis obs. 2. ita loquitur: *Certe eam aliquando meningum cerebri in hemicrania & præsertim in ipso vomitu, contractionem persensi, ut manifeste cranium â sese divelli, suturaque coronalis aperiri mihi propemodum videretur, non sine atrocißimo dolore.* Vid. C. Stalpart. van der Wiel in obs. 1. l. 1.

XIII.

Cum noctu intenditur hemicranicus dolor vel diutius ægrum exercet, vigiliis hic marcescit, delirium, ad quod ipsa doloris acerbitas spiritus animales disponit, frequenter solet insequi.

XIV.

Tumorem manifestum & notabilem sæpe dolor, & imprimis externus si est, habet etiam conjunctum, maxime autem si vel ab inflammatione, ubi rubor in

parte

parte affecta calor & pulſus obſervatur, vel ab ictu & caſu ortus ſit, aut à copia humoris ſub cute ſtagnantis.

XV.

Quemadmodum autem hemicrania, quando per ſe morbum conſtituit, alias partes in conſenſum trahit, ut ex modo allatis clarum eſt, ſic ab aliis etiam partibus male affectis excitari illa poteſt. A dentibus earumque radicibus exeſis & corruptis malum hoc naſci poteſt: exemplum refert Hildanus C. 2. obſ. 10. quæ omnibus in hemicrania alias proficuis & expertis licet adhibitis non ceſſavit niſi dentibus illis evulſis. Vid. etiam Platerus obſ. l. 2. p. 379. Oculum inflammatum in eodem latere capitis dolorem movere notisſimum; quemadmodum & aures dolorem ſuum capiti imprimunt. Ex abſceſſu auris dolorem hunc oriri poſſe teſtari poſſunt obſervationes Horſtii & Plateri ſuperius theſ. II allatæ.

XVI.

Non autem â tam propinquis ſed longè etiam â capite diſſitis partibus caput acerbè adeo affici poteſt: ſic nihil eſt frequentius quam ventriculo, inteſtinis & utero impuritatibus, pituita acri, ſcatentibus, aut â mordacibus halitibus irritatis & laceſſitis cephalalgias, & hanc de qua agimus ejusdem ſpeciem ſequi. Nihil Practicis notius quam ſtomachi imbecillitatem diuturniorem ac cruditatum copiam vertigines aliaque capitis pathemata & hemicranias quoque parere. Vid. Borell. C. 2. obſ. 1. Hypochondriaci & imprimis lienoſi diros dimidii capitis non raro perſentiſcunt dolores; quos ex utero etiam non infre-

quentes esse experientia Foresti l. 9. obs. 51. Bartholini Cent. 4. epist 6. aliorumque dudum innotuit. Calculus ut solet interdum insolita producere phænomena & per signa insveta sese in aliis partibus exserere, sic rarum est quod Bartholinus, & Cl. Dn. Præses observavit, hemicraniam scilicet illius lateris, cujus lateris ren calculo laborabat.

XVII.

Cum tam variis pathematibus sæpe sit stipatus hic affectus, ut constet nobis, quod constare, antequam curationem suscipiamus, debet, an affectus sit per essentiam an ab alio morbo per consensum ortus, initium morbi diligenter considerandum, videndumque quale cujusque partis vitium præcesserit dolorem hunc, num alia in corpore pars simul laboret cujus affectus vel paulo ante vel eopse tempore cum dolore hoc hemicranico sese prodiderit. Equidem in indaganda sic parte primario affecta non parum sæpe est difficultatis, si tamen ad primum invasionis mali initium sedulo attendamus, crebro voti compotes reddi possumus, si quid in morbis ejusmodi recurrentibus circa paroxysmorum initia doleat, quid primò patiatur æger, quænam simul incipiant, & simul desinere soleant, inquiramus, illa comperiemus quæ tum ad causam intelligendam tum ad illius sublationem quam maxime faciunt.

XVIII.

Ratio consensus illius quod etiam hemicrania ab oculis auribus & dentibus proficiscitur, multa explicatione egere non videtur; omnis enim ille â membranis, pericranio & periostio, partibus his

cir-

circumtensis deduci se facile patitur. Fernel. l. 5. pathol. c. 1. inquit: *quoniam pericranium oculorum orbitam cingit, dolores etiam capitis externos eo pertingere.* Arduum magis & difficilius erit quomodo ex infimo ventre ventriculo, intestinis, & in fœminis ex utero consensus ille dolorem hunc creet explicare, ubi opinamur non satisfacere Veterum fumos halitusque, quos ascendere ex his partibus & sic caput infestare credebant docebantque. Sed verius arbitramur Willisium spasmo ê longinquo incipienti & hinc spirituum commotioni ad caput ac subjectum inhæsionis hujus morbi continuato dolorem hunc adscripsisse. Flatulenti tamen quid hic interdum subesse ex ipsorum ægrorum relatione innotescit; ut quanquam vaporibus tanquam causis multa in pathologicis φαινόμενα paulo indulgentius liberaliusque Antiqui adscripserunt, prout non malè hoc monet Helmontius, omnem tamen doctrinam hanc propterea non eliminandam: sed rectius potius, quam vulgus solet, explicandam esse censeamus. Essentiali ergo labe infimi ventris viscera dum laborant, mineram focumque morbi utut capiti non impertiant vel communicent, connexio tamen illa nervorum potissimum momentum consensus hic confert. Per communionem etenim generis nervosi & imprimis per nervos sexti paris consentit caput utero in doloribus cum frigoris plerumque sensu, furore, epilepsia; ventriculo in vertigine, vomitu â vulnere & contusione capitis; extremis etiam, aura epileptica hinc inde ascendente ex manibus vel pedibus. Hinc pedibus adhibitæ lotiones demulcent nervosum ge-

 nus

nus, doloribus delinimentum afferunt & ſoporem accerſunt. Hanc connexionem & ſimilitudinem vaſorum potisſimum conſenſus fundamentum qui tenet, quomodo cauſa in viſcere longe â capite deliteſcens in hoc, diſtans quamvis, operetur dijudicabit.

XIX.

Ex eodem falſo hoc præjudicio de vaporum ex radicationis ſubjecto hemicraniæ aſcenſu id fluere etiam videtur, quod multi putent hemicraniam per eſſentiam ortam eſſe continuam, nulloque intercedente intervallo affligere, per conſenſum autem quæ gignitur eſſe interruptam ſuaque habere intervalla, à quieſcentibus modo, modo erumpentibus & elevatis his evaporationibus proficiſcentia. Contrarium autem & rectius ſtatuunt illi, qui cum Capivaccio putant hemicraniam per conſenſum ortam æquè interdum eſſe continuam ac eam quæ capite ipſo morbi cauſam fovente producitur; cadente quippe falſa illa hypotheſi hoc etiam quod illi innititur cadat neceſſe eſt.

XX.

Cauſas gravisſimi hujus affectus jam indagaturus, extra omnem pono controverſiam externa quævis, contuſiones, vulnera, ulcera, ab ictu, lapſu vel undecunque orta illius lateris dolorem inferre poſſe, in quod capitis latus incidunt, qui quidem dolor vulnere vel ulcere curato & cicatrice jam inducta ceſſat, ſæpe autem levi inſtante aeris mutatione per quam ſanguis aut concitatius movetur, aut ſpiſſior redditur, ut per tubulos conſolidatione clauſos anguſtatosque minus liberè trajici poſſit, recrudeſcit, ut

præ-

prædicere hinc etiam futuram tempeſtatis mutationem profundiores cicatrices gerentes ſoleant.

XXI.

Ad dolorem hunc capitis ſuſcitandum cauſamque hujus latentem in actum deducendam non parum res nonnaturales faciunt. Inter has autem aëris maxima vis eſt, & calidus imprimis ſi ſit aer, illique & ſolis æſtuantibus radiis, inſvetus maximè, caput ſi exponat æger facile morbum hunc incurrere poteſt; uti Carol. Piſo lib. de morb. â ſeroſ. colluv. ortis de ſe ipſo refert, quod cum dormientis caput ſol feriiſſet hemicraniam ſenſerit. Humida etiam & frigidior aëris temperatura iis præſertim quibus à defluxione catarrhali affectus emergere ſolet, nocere poteſt.

XXII.

Per hyemem ſopitos verno tempore reverti dolores hos unum latus capitis occupantes ſuperius diximus. A frigore enim brumali tempore nos circumſtante pori corporis arctius ſtringuntur, tranſpiratio libera impeditur; humores vero incraſſati quieti magis ſe dant nec tanta libertate moventur ac fluiditatem majorem tenuitatemque adepti; quapropter nova humiditate ſemper accedente aucti, vitium capiunt majus, quod verno tempore ſole ad nos redeunte promtius ſe exſerit, dum mediante calore illius pori corporis noſtri iterum recluduntur, humores antea quieti rareſiunt, commoventur magis & fermentantur, qui ad caput ejusque partem quandam jam ante debilem redditam moti ibi facilius incurrunt & moleſtiam, de qua locuti ſumus, inferunt.

 XXIII.

XXIII.

Hinc facile etiam ratio reddi poteſt quare dolor hic ſæpe de die magis infeſtet, quoniam ſcilicet ſole accedente, lux, ſpiritus in motum concitatiorem abripiens, ſenſibiliores membranas reddit; humores per noctem quieſcentes jam rarefiunt & commoventur fortius, qui cum ad caput jam imbecille pervenerunt, illud lædunt, cum autem ſolis æſtus augetur vehementius etiam moventur humores, & tranſpiratio inſenſibilis multum promovetur, ut per illam materia ſenſim ſenſimque diſcutiatur, ſoleque occidente dolor hic rurſus evaneſcat. Vid. Schenk. obſ. l. 1. p. 49.

XIV.

Noctu autem qui potius infeſtat dolor, quamvis & hic quodammodo â calore in plumis incumbentibus excitato, qui humorem aliàs quietum movet, deduci poſſit; â catarrhis potiſſimum & ſeroſo affluxu, plurimum nocturno tempore aucto, aereque frigido humorem diſcuti non ſinente ortum trahere videtur. Mane enim calore & motu corporis noſtri accedente, recluſis etiam cutis poris, materia peccans promtius eliminatur, qua diſpulſa capitis etiam ille dolor ceſſat; cujus rei manifeſtum exemplum in ſcorbuticis & lue venerea laborantibus, in quibus nocturnæ cephalalgiæ pariter non infrequentes ſunt, habemus. Autumno & hyeme potius recurrentis hemicraniæ exemplum vid. ap. Plat. obſ. l. 2. p. 302.

XXV.

Peculiare eſt, & â doloris vehementia ac immanitate procul dubio deducendum, quod lucem fugiant hemicrania decumbentes, manifeſtè enim officere

ean-

eandem experiuntur, ut cum doloris mitigatione obſcurum & tenebricoſum cubiculum ingrediantur, aut poſt ſiparium lectum ponant. Cujus rei ratio à ſpirituum agitatione & membranarum oculi cum tunicis caput veſtientibus, ut jam dictum eſt ſuperius, cohæſione ac radiorum activitate, irritatione repetenda; unde in partibus his à luminis actione ſenſibilioribus redditis non potuit non ingraveſcere. Haud diſpar videtur ratio quod ſermocinationes & ſonos alios ægerrime patiantur hemicrania detenti. Partes enim ad ſonum recipiendum facientes, præſertim tympanum, tenſæ nimis ſunt, ut ſonos etiam remiſſiores graviter & acerbè ferant; ſicuti omnibus ferme valde dolentibus ſoni auctiores moleſti eſſe conſveverunt, quod ſpiritus, exporrectis veluti magis nervoſis productionibus, ad recipienda objecta externa promtiores ſint. Thomas Willis in ſua Cephalalgiæ curatione quam habet l. de anim. brut. p 2. c. 2. de nobilisſima quadam fœmina ſequentia annotat: *Ante ſecundum ætatis luſtrum, â febre periculoſa convaleſcens capitis doloribus interdum ſponte ac ſæpius â levi quavis occaſione oriri ſolitis, obnoxia evaſit. Ægritudo non uni loco aut parti capitis limitata, modo dextrum latus, modo ſiniſtrum, & non raro totum ejus ambitum infeſtabat. Durante acceſſione (quæ raro intra nychthemeri ſpatium terminata, ſæpe per duos, tres, aut quatuor dies urgebat) illa lucis, loquelæ, aut ſoni, aut motus cujusvis impatiens, intra cameram atratam, in lecto erecta ſedens cum nullo colloqui, nil ſomni aut victus capeſſere potuit. Tandem circa paroxyſmi declinationem, ſomno gravi, & perturbato*

turbato succumbere, ê quo evigilans melius habere, & dein sensim convalescere, ac intermissionis tempore mediocriter valere solebat. Illam hinc in medicina facienda observandam regulam depromes, magno & vanissimo sæpe verborum strepitu id garrulum & loquax Medicorum genus proficere, ut miseris ejulantibus crescant dolores, quos, si lingua non à mentis sed vanæ sæpe gloriolæ funiculo tracta non tinniret, blandiores fore dubium non est. Hic tamen ferme est vulgarium cursorum mos, ut, in arte ingeniose mentiendi præsidium suum modo non præcipuum collocantes, assentatiunculis aucupandam gratiam censeant, & non saltem pillulas auro obduci debere putent, sed mellitos etiam verborum globulos nunquam non, cum ægrum visitant, objiciendos esse arbitrentur.

XXVI.

Ex cibis & potibus quæ caput petunt, turbant & inebriant, vitare oportet ad hemicraniam pronos, vel illa affectos; sic â largiori vini potu hemicraniæ exemplum habet Plat. obs. l. 2. p. 356. & For. l. 9. obs. 58. Excreta & retenta utriusque sexus, cum debite se non habent, causæ morbi hujus opitulantur. Hildanus C. 2. obs. 9. hemicraniæ non nisi alvi solutione cessantis meminit. Ab hemorrhoidibus suppressis ortam vidit Forestus l. 9. obs. 24. Affectus quoque animi, somnus & vigiliæ ad dolorem hunc inducendum plurimum conferre posse persvadebit Duret. in Holl. p. 20.

XXVII.

XXVII.

Catarrhis quoniam liberiori aeri præ aliis partibus expoſitum, multisque glandulis refertum caput, utplurimum valde infeſtatur, ab his etiam & quidem decumbente ſalſo & ſeroſo humore tenui vel viſcida pituita rodente & vellicante hemicraniam oriri poſſe ſuperius jam tum declaravimus. Joh. Ant. Lindenius exemplum habet hemicraniæ talis cum copioſo humoris ex ore fluxu, qui non deſiit niſi remittente dolore. Vid. Act. Haffn. volum. 3. obſ. 66. Gregorius Horſtius in quodam Theologiæ ſtudioſo ingruente adverſa aeris tempeſtate vel etiam præcedente aliqua intemperantia fluxiones capitis, gingivarum intumeſcentiam & exulcerationem cum hemicrania ſiniſtræ partis ſe deprehendiſſe refert. part. 2. obſ. 24. Præſertim autem ſcorbutica ſubjecta quorum ſanguis multa ſcatet acrimonia & mordaci ſero, doloribus his excruciantur, qui interdum in tibias, brachia & oſſa alia veſtiens perioſtium excurrunt. Id tamen notabile hic eſt, & cauſæ ſimilitudinem in hoc & articulorum affectibus videtur arguere, quod arthriticis doloribus ſi ſuperveniat hemicrania, illi deſinant, ſicut viciſſim hæc facto ad membra materiæ decubitu tollitur.

XXVIII.

Tumores & abſceſſus in capite hærentes dolorem etiam illi ſæpe lateri in quo hærent, dare ſolent, ſicut ſuperius de aurium abſceſſu jam dictum & de aliis ſupra & infra cranium ſitis in Practicorum libris relatum eſt. Vermes quoque in capite hærentes malum hoc inducere poſſunt, & exemplum videre eſt

 apud

apud Hild. c. 2. obſ. 8. pueri cui per aliquot menſes totum penè caput pars tamen præcipue ſiniſtra per integrum ſemeſtre doluit, donec rupto abſceſſu circa os cribriforme cum pure vermis proruperit. Flatus interdum in cerebro contineri ab Excell. Dn. D. Meibomio Præceptore meo æternum colendo ſæpius audivi, qui diſſecta à ſe meninge cum ſonitu flatum inter utramque membranam contentum exiiſſe obſervavit; vix tamen â causa hac adeo diſſipabili & locum mutante fixum hunc & pertinaciter ſede ſua hærentem dolorem derivandum opiner.

XXIX.

Proximam doloris hujus ut omnis alius cauſam continui ſolutionem cum Hippocrate & Galeno dicimus, quam rem cum totam confecerit & ab adverſariorum contradictionibus vindicaverit Sennert. prax. l. 3. p. 3. ſ. 1. c. 2. illam huc cum tædio lectorum non transſcribemus. Contingit autem hæc continui ſolutio ſubinde â cranio depreſſo aut alias læſo, pericranium & meninges pungente & moleſte ſic afficiente; interdum extravaſato ſanguine ſupra cranium vel cerebri meninges collecto. Sola enim plethora diſtendendo vaſa dolorem quidem capitis univerſi, non autem unius ejusdemq; lateris, vetantibus id circulationis legibus, inducere poteſt, licet omnino augere eundem poſſit. Frequentiſſimè tamen ſerum acre mordax corroſivum & ſæpiſſime quidem acidum ſubeſſe, ſi ſignis ipſis, ſi juvantibus & nocentibus, quæ in ſcrutinio morborum nullo modo negligere oportet, fidimus, non obſcurè pateſcere exiſtimamus, hoc autem vellicando, irritando, rodendo, hemicraniam

infert,

infert, amplius se idcirco non diffundentem, quod paucum sit serosi hujus humoris vasis illapsum & membranis adhærens, vel, spissitudine aut tenacitate quam acquirit hoc prohibente, diffluere tam facile non possit. Hinc in scorbuticis corporibus in quibus acidum abundare & dominari solet â sero stagnante & membranis cerebri sensibilibus affixo cruciatus talis gignitur, qualem atrocissimum & immanem describunt Haffnienses in Actis suis Vol. III. obs. 66.

XXX.

Firmius impacta cum est materia partibusque his nervosis ac membranaceis profundius inhæret, exilis, quæ ad hoc sufficit, acerrimi humoris quantitas, vel ob glutinositatem quam acquisivit adhæret tenacius dolorem fixum & sedem suam ultra capitis hæmisphe-rium non extendentem parere dicimus. Imprimis quando circa membranas cerebri vitio privatæ dige-stionis humor vitiosus pungens & lancinans congeri-tur, unde ossifragus ille dolor, cranio ipso pedetentim in cariem corroso, vel quando succus ille inter suturas cranii colligitur, ipsarum compage soluta ut sensibile spatium possit percipi. Vid. Arnold. Bootius de affect. omissis c. 4. Si verò ex lympha scorbuticorum co-piosiore nocturno tempore depluente malum fovetur, vagari id magis & excurrere ad partes vicinas non-nunquam dolor solet. Neque ex superioribus obscuræ erunt causæ, propter quas dolor hic interdum recedit, & modo definitis modo incertis temporum intervallis revertitur.

XXXI.

Causis morbi hujus & quomodo agant jam cogni-

 tis

tis obſcurum amplius haud eſſe poteſt, quodnam ſit ſubjectum hemicraniæ; ſævus enim adeò dolor cum ſit, neceſſe eſt in parte valde ſenſibili hæreat, proinde partes capitis ſenſu tactus præditæ principale imo unicum ſubjectum hujus affectus erunt, quæ ſunt cutis capitis externa, membranæ cranium involventes, perioſtium & pericranium, meninges cerebri, nervi & vaſa ipſa, uti in genere id Thom. Williſ. de Cephalalgia in Pathol. cerebri evicit. Unde ſua ſponte eluceſcit, quid de illorum opinione judicandum, qui ſe egregii quid inveniſſe putantes cerebrum partem affectam in hemicrania conſtituunt, & ventriculo dextro laborante dextram capitis partem dolere, ſiniſtro, ſiniſtram docent. Aliud jam ſcivit Galenus quando L. 1. de ſympt. cauſ. c. 8. *Cerebrum non ut ſentiat ſed ut ſentiendi vim præſtet & partibus ſubjectis communicet factum eſſe* docet quod unanimi omnium accuratiorum Phyſiologorum ſuffragio amplius eſt ſtabilitum. Vid. Isbr. de Diemerbroeck Anatom. l. 3. c. 10. & 5. ubi inter alia *Nervos*, inquit, *cerebrum in propria ſubſtantia nullos poſſidet, cum enim ſentiendi organon generale ſit, de omnibus ſenſibus & motibus animalibus judicans, debuit ſenſus & animalis motus expers eſſe: nam uno ſenſu motuve præditum, de aliis non bene judicaſſet, quia ſinguli ſenſus ab uno tantum objecto moventur, ut viſus ab objecto viſibili, tactus à tactibili &c. Si igitur cerebrum uno aliquo ſenſu motuve præditum fuiſſet. anima per illud organum de quolibet ſenſu & motu non potuiſſet juſtum judicium ferre, ac propterea ſenſus & animalis motus expers conditum, nec in ſubſtantia ſua ullis nervis donatum eſt.*

XXXII.

XXXII.

Ut arte & prudentia aliquid prædicere in hoc affectu possimus, sollicite semper advertendum, num per essentiam num per consensum natus fuerit affectus, num vagus num fixus sit dolor, ubi qui certam suam sedem servat, continuo affligit, aut jam sæpius rediit, curatu difficilior est nec tam facile dissipari se patitur, quam qui vagus materia mobili existente, ubi & pulsus mutatio in paroxismo malum facile discuti posse indicat. Quandoquidem vero dolor adeo sævus est & propter hujus vehementiam, & partis affectæ dignitatem periculum imminet, maturè illi subveniendum est, quem neglectum gravia insequi possunt mala; sic exemplum cum metu apoplexiæ habet Horst. lib. 2. obs. 22. Pulsus intermittens ubi observatur, malum est. Atroci hemicrania diutius perseverante Epilepsiæ secuturæ metus est.

XXXIII.

Hemicrania per consensum nata non cessat, nisi morbo primario curato, quem illa tanquam symptoma sequitur; quamvis etiam sæpe morbo licet nondum curato ob vehementiam suam dolor ipse medicinam exposcat & posthabita morbi causa placandus sit.

XXXIV.

Ut autem adhiberi recte medicamenta ad causam directa ê triplici fonte petẽda possint, sciendum ante est num calida num frigida, ut communiter loqvuntur, illa sit, & à frigida causa si sit, an â tenui humore ad caput fluẽte vel â membranis imbibito, num â viscida pituita in capite hærente malum sit. Pro eo enim non saltem

diæta varia injungenda, ſed multum etiam variat methodus ipſa adhibendi medicamenta tum interna tum externa topica. Indicationes autem potisſimæ ut materia illa temperetur, diſcutiatur, vel educatur, novus illius proventus & affluxus præcaveatur, & denique ipſum caput roboretur, ut à ſtagnatione lancinantium humorum impoſterum tutum ſit.

XXXV.

Patet hinc aliam in paroxyſmo & dum dolor urget inſtituendam eſſe curam, aliam extra paroxyſmum. Dolor ſi ſit gravativus, præſertim autem plethora ſi adſit, ſi malum ab orgaſmo ſanguinis ad caput impetuoſius ruente aggravetur, V.S. ſtatim adminiſtranda. Multo autem melius & promtius quod debebat præſtat V.S. in pede, quæ & orgaſmum ſangvinis compeſcere & ſimul à capite revellere poteſt, præſertim ſi in pede illius lateris in quo latere capitis dolor affligit, vel etiam in utroque inſtituatur: ſic Joh Rhodius l. 1. obſ. 173. exemplum habet, ubi in cephalæa ſecata dextri lateris ſaphæna ſublatus eſt etiam dextri lateris capitis dolor, eodem deinde effectu ſecuto, in altero latere cum ſecabatur. Vena frontis quamvis etiam incidi posſit, magna tamen adhibita cautione incidenda, nec ſemper conducit, imprimis ſi ab evacuatione quadam ſangvinis ſuppreſſa malum ortum ſit.

XXXVI.

Sæpe vero non ſufficit ſangvinem ê vena eduxisſe, licet aliquot id etiam vicibus repetatur, ſed ſi materia peccans ſangvis tenuis ebulliens copioſe per arterias adducatur ad caput, & pulſatio arteriarum moleſta ſit ad arteriotomiam ſæpe accedendum,

ſicut

ſicut plurima exſtant exempla arteriæ felici cum eventu ſectæ apud River. prax. l. 1. cap. ult. Cent. 2. obſ. 59. & 89. & obſ. â D. Jacob. comm. 12. Binning. c. 3. obſ. 9. Schenk. obſ. l. 1. p. 54. Hoc etiam in caſu ubi ſangvis valde æſtuans copioſe ad caput fertur, ſtrictior capitis ligatura locum habere poteſt, quæ etiam, ſuturæ dehiſcentia ubi metuitur, omitti non debet.

XXXVII.

Cum ſemper in miſſione ſangvinis ad ægri vires reſpiciendum ſit, hæ an reſpondeant, an ſangvinis eductionem amplius ferre poſſint, conſiderandum ſedulo; ſi vero illæ exhauſtæ dejectæ venæ ſectionem iteratam & imprimis arteriotomiam diſſvadeant, horum loco cucurbitulæ ſcarificatæ, venæ ſectionis vicariæ alias appellatæ, in uſum trahendæ. Hirudines etiam hic ad ſangvinem educendum locum habere poſſent.

XXXVIII.

Extra cranium ſub cute ſi hæret peccans humor, cutis cruciatim incidenda & ſic materiæ exitus parandus, uti factum â Schenk. p. 18. Altius vero malum ſi ſit radicatum & ſub cranio hæreat, diſcuſſio medicamentis tentanda, malum autem niſi ceſſet, ad trepanum accedendum & caput perforandum, ut materia noxia educatur. Vid. Job. van Meckren obſ. 9.

XXXIX.

A defluxione ſeri acris ſcorbutici ad membranas cerebri decumbentis malum oriri ſi ſigna manifeſtent, veſicatorium optimo cum eventu adhibetur, & omnia alia adhibita vincit, humorem illum acrem â capite derivando. Locus ejus communiter quidem eſt nucha

nucha, meliorem autem effectum sperare licet, quen etiam præstat, si parti ipsi dolenti applicetur. Vic Riv. prax. l. 1. c. ult. Cent. 1. obs. 37. Ubi & commendamus vesicatorium profundius ipsam partem excorians, quod & melius evocat serum membranis affixum & diutius apertum servatur ichoremqve copiosiorem stillat.

XL.

Eodem etiam in casu à sero acri scorbutico malum si sustentetur & materia mobilis sit sedemque certam non habeat, sed modo hanc modo aliam partem infestet, fonticuli vel setaceum magno cum fructu excitari possunt; hoc tamen illo potentius adhuc & majorum hic virium est, nec etiam in nucha saltem, qui communissimus illorum locus, sed in ipsa parte affecta fieri possunt. Vid. Hild. Cent. 4. obs. 66. Magis autem extra paroxysmum hæc non illico serum quod ad membranas decubuit extrahentia prosunt.

XLI.

Neque particularia evacuantia materiam ê capite tum proximius educentia tum omittere oportet, sed in paroxysmo quoque errhina saluberrima sunt remedia, quæ sua morbum depellendi efficacia reliqua omnia quandoque antecellunt; & parari possunt ex agarico, floribus betonicæ, liliorum convall. salviæ, lavendulæ, anthos, thea Indica, fœniculo, majorana, pulveris forma in nares insufflato. Aquæ etiam ex cephalicis plantis destillatæ in nares attrahi possunt. Masticatoriorum usus quoque salutaris hic est ex radicibus angelicæ, galangæ, pyrethri, Herba majorana,

salvia,

ſalvia, roremarino, ſeminibus cardamomi, cubebarum, ſinapi, granorum paradiſi, maſtiche &c. paratorum.

XLII.

Ubi acrimonia humorum morbum efficit interne talia quæ temperant & deſtruunt acredinem, quæ ſuccum acrem diſcutiunt, ejusque ferociam mitigant & ſopiunt, interea danda ſunt: Exhibendi ergo ſub veſperam pulveres ex terreis abſorbentibus fixis, nitro, ſuccino, oculis cancri, bolo armena, terra ſigillata, bezoardico minerali: vel etiam infundi poſſunt mixturæ ex aquis cephalicis, betonicæ, meliſſæ, majoranæ, ſalviæ, verbenæ & ſimilibus additis pulveribus ejusmodi paratæ, & ſi dolor urget opiatis vel papaverinis quoque admixtis. Pillulæ de cynogloſſa, ſi per noctem dolor redit, ſunt optimæ. Emulſiones quoque ex ſeminibus 4. frigidis ſemine pap. alb. &c. cum aqua verbenæ, betonicæ, vel aliis paratæ, ſeri ferocientis impetum feliciter infringunt. Æſtus autem & orgaſmus ſanguinis ſi adſit, acida ſimul addenda, ſpiritus minerales acidi, clyſſus antimonii, aqua alexipharmaca acida, nitrum & ſimilia.

XLIII.

Alvus adſtricta ut alias capitis dolorem intendere ſolet, ita & in hemicrania aperta illa ſervanda eſt. Dum vero dolor ſævit, purgatio per alvum, niſi humores valde turgeant, & affluxus ad affectum capitis latus magnus ſit, ita non convenit.

XLIV.

Externa etiam ſtatim applicare fas eſt; & per illa ſi dolor urget illius delinitioni valde incumbendum. Præterquam autem quod plantis pedum applicari poſſunt calaplaſmata rubefacientia ex ruta, ſemine ſinapi, aceto, fermento acri &c. capiti etiam ipſi admovenda topica,& quidem cataplaſmata ex herbis cephalicis diſcutientibus, anodynis & confortantibus: ex betonica, artemiſia, chamomilla, verbaſco, anetho, ſambuco, majorana, ſalvia, roremarino, centaurio minori, meliſſa, origano, pulegio, &c, nitro, quod ſingulare quid hic præſtat cataplaſmatibus incoctum, adjecto, vel prout viſum fuerit eodem omiſſo. Aut inungendum caput aquis cephalicis ſimplicibus vel compoſitis: aqua Anhaltina, Velthemiana, florum ſambuci, Cæſaris Caroli, Reginæ Hungaricæ, Spiritu vini tartariſato, Camphorato, Liquore C. C. ſuccinato, ſpiritu ſalis ammoniaci &c. vel unguentis etiam, alabaſtrino, roſato, populeo, oleo ruthæ, nuciſtæ, anethi, chamomillæ, addito etiam opio. Emplaſtra etiam capiti imponi poſſunt ex tacamahaca cum oleo ſuccini, Euphorbio, quod tanquam ſpecificum Freitag. auror. Med. pag. 344 & ſeqq. laudat; & Foreſtus, l. 9 obſ. 58. in ſchol. Euphorbium aceto dilutum commendat. Sacculi etiam capiti apponi poſſunt ex herbis cephalicis parati, verbena, betonica cum floribus, ſambuci etiam verbaſci &c, cum ſuccini pulvere.

XLV.

Lotiones vel embrocationes capitis non multum commendamus. Præſtat plerumque in morbis capitis

pitis dolorem inferentibus pedes quam caput lavare. Multum hinc levaminis & allevamenti experiuntur, præsertim si â cœna cum dormitum ire statuunt pedes tepenti aquæ, in qua Chamomilla, anethum, flores violarum, folia salicis, papaveris capitula, aut similia fuerunt incocta, imponantur. In Miscellaneis Naturæ Curios. Germ. Ann. 2. obs. 247. mentio fit viduæ cujusdam â cephalalgia, quæ stata eam hora afflixerat, & universalibus atque anodynis illuserat, usu pediluvii bis vel ter repetito liberatæ.

XLVI.

Miserabilem medii capitis dolorem â verme onisco (Ohrwurm) inductum sequenti modo sublatum esse â Cl. Dn. Præside annotatum accepi. Jubebatur ut per nares & os æger fumum susciperet ex antimonio crudo, minio, centaurio minore, marrubio albo, absinthio, betonica, Zedoaria, Angelica. Cum bis terve suffitum illum admisisset, per nares & aures plures ejusmodi vermes magnitudine multum differentes egressi sunt, ex quo â dolore liberatus, diu tamen postea de capitis imbecillitate conquestus est; & retulit se aliquando sub dio cubito innixum sub arbore dormivisse & expergefactum eodem die dolores auris & capitis sensisse.

XLVII.

Extra paroxismum antecedens causa ê sanguine & ipso etiam capite, si hoc illam receperit, studiosè eliminanda est, adeoque per purgantia materia educenda, præmissis digestivis, magis vero hæc condu-

cunt, si malum ab intemperie frigida ortum ducat, ubi probè distinguendum, an tenuis materia an viscida pituita causam illi suggerat. Tenuis igitur si sit materia, incrassantibus & acrimoniam temperantibus præparanda ex Massa pillularum de cynoglossa, Trochiscis de carabe, nitratis, terreis, sublecti ingressum assumtis. Viscida autem si sit pituita, incidentia & attenuantia adhiberi possunt. Purgantia ipsa vero sint validiora, cum in parte à primis viis valdè remota hæreat causa, ut vix integris viribus ad eam devenire queant, ex Massa pillularum cochiarum, fœtidarum, ê gummatibus, extracto catholico, Mercurio dulci, Tartaro vitriolato, resina jalappæ, diagridio.

XLVIII.

Pravorum humorum saburra in fundo ventriculi ac tunicæ plicis pertinacius hærente & capite hinc affecto vomitoria ex voto auxilium afferre possunt; dummodo non obliviscaris illud Hippocratis aph. 21. s. 1. *quo natura vergit, eo maxime educendum*, ubi addendum tamen esse methodus jubet *si liceat*, & nihil, quod prohibeat violentam ventriculi subversionem, adsit. Utut autem promte tum agant Emetica antimonialia, Tartarus Emeticus Mynsichti, vel qui præferendus est, Danielis Ludovici, vel purgans universale Glauberi; est tamen ubi vitriolata tutius eliguntur & stibiatis jure cum Willisio præferuntur, quem vide Pharm. rational. sect. 4. c. 4.

XLIX.

XLIX.

Si ſcorbutica ſangvinis dyſcraſia novos minitetur moleſtiſſimi mali inſultus, ſcopus ſit illam corrigere, quod qua methodo inſtituendum hujus non eſt loci exhaurire. Martialia tamen ſuccinatis combinata, præmiſſis & interpoſitis commodis catharticis eximia eſſe remedia teſtari poſſumus, & præſertim ſi horum uſui volatilia ſuccedant, malum ſi non exſtirpare diu tamen novas acceſſiones, quas in metu maximo habere & horrere ægri ſolent, differre poſſunt.

L.

Sudorifera præſertim ubi à catarrho malum, in uſum duci, vel ſub veſperam vel ubi largius ſudandum de die dari poſſunt: Pulveres ex oculis cancri, antimonio diaphoretico, cornu cervi, ſuccino, bezoardico minerali, ſpodio ex ebore &c. quali pulveri ubi res poſtulat opium in acciſa doſi addere licet. Melius autem radicem hujus mali ab hac cauſa orti exſtirpant decocta lignorum per aliquot tempus uſurpata.

LI.

Diæta & victus ratio talis præcipienda, quæ cauſis, in αἰτιολογίᾳ adductis, adverſatur, qualem methodo medendi & judicio inſtructus Medicus facile deprehendet, cujus prudentiæ idcirco eandem committimus.

Adderem plura, niſi hæc ſcopo meo ſatisfacere poſſe arbitrarer, qui is eſt unicus, ut tenue, quale profectus ferunt, laborum ſtudiorumque, quibus in annum nunc quintum in Illuſtri hac Julia incubui. Patronis Præceptoribus futurisque Promotoribus ſpecimen exhiberem. Quapropter ſi ubique rem non attigero, veniam eo paratiorem ſpero, monitus meliora libenter ſecuturus.

SOLI DEO GLORIA.